Sereniſſimo PRINCIPI,

JACOBO,

ALBANIÆ & EBORACI Duci, &c.

SCOTIAM jamprimùm pervenienti, ac frequentibus ſtipato Nobilibus, à Metropoli *Edinburgo*,

Maximo cum plauſu, alacriter recepto;

VIII. Kal: *Decembres*, 1679.

CONGRATULATIO.

GRatus ades *Scotis*, quidni? quin gratior adſis
Sceptriferis *Scotis* edite tot proavis.
Ter tribus, & decies denis, Diademate cinctis
Stemma trahens *Scotis;* credito, gratus ades.
Sive Patrem, Fratrem, vel Avum, Proavoſque remotos
Commemores; *Nobis* gratior uſque venis.
Solo Fratre minor, ſoliique propinquior hæres,
Quis dubitet *Scotis* gratus an eſſe velis.
Seu meminiſſe licet res arctas, damna, pericla,
Quæ tuleras exul, cum Patre, Fratre tuo:
Sin meminiſſe juvat quem Martem ſæpe tuliſti
In *Batavos* fœlix; ſiccine gratus eris?
Sive moderna vacat rebus componere priſcis,
Tu, *Scotis* gratum nomen *, & omen habes.
Albinique Duces, geniali numine fauſti
Scotigenis; Regno quanta tulere bona.
Teſtis erit Prorex *JACOBO* nomine Quinto,
Res lapſas reparans, * inſtituenſque Forum.
Sic *Tu*, qui decoras *Albini* nomina, *Franci*
Belligeri, *Scoti* Pacificique Nepos,
Majorum Patriæ, majorum conſule Regno;
Quà patet in laudes area lata tuas.

*A { JAMES, STUART, Duke *Albanach*.

* { Conſule *Buch*, *lib.* 13. *ac* 14.

15

Idem AUTHOR.

rænominato **PRINCIPI,**

IS ex Mandato, *ANGLIAM* repetenti,

AC

XIII°. KAL: *MART.* 1680.

hæ, suo cum Comitatu, Navithalamos Regios conscendenti.



VALEDICENS.

VIve diu Princeps, multùm celebrate per Orbem:
  Proxima spes *CARLI*, maxima cura vale.
Vive diu fœlix, trimensis commoda *Nobis*
  Plurima qui dederas, plura daturus eras.
Vive vale; & lætas *Thamisis* cum viseris Undas,
  Deque *Caledonia* multa rogatus ades.
Morigeros *Scotos* narra, Sceptroque fideles:
  Obsequii dicas, *Testis & ipse fui.*
Sunt Animi *Scotis* alacres audire, paratæ
  Suntque Manus, Regis reddere jussa rata.
Regibus unde[illegible]denis (vel crede) superi
  An fuerit re[illegible]edita Terra novis.
Sin pauci excordes furiis agitentur iniquis:
  Haud prius emergunt, quam sua damna luunt.
Hæc, & plura docens; Fratris cum stabis ad ora:
  Debebit quantum *Scotica* terra Tibi:
Quæ (spirante DEO, positis Borealibus auris)
  Optime Dux, optat, *sit tibi certa salus.*

Has præli sui primitias, ut in publica Gratulatione micam, excuderunt Typographi tyrones,

PAT. RAMSÆUS,
JO. RHEDUS.
